



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

828. An, dum in gratiæ, qua contulit Papa alicui beneficium, appositum sit decretum de dimittendo beneficio præhabito, possit illud permutare, vel etiam in favorem resignare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

competant, respondet n. 103. id fieri dispositione juris, & ea tantisper retineri, donec & illa inter se permutent, ut hic rursus coalescant cum suis primis, seu beneficalibus titulis; siquidem id solum ad hunc finem, & cum hoc onere concedi, ut sine specie simonia permutatio fiat. Quodsi etiam opponas illi, hinc sequi, posse beneficium nullos fructus habens permutari cum alio beneficio fructus habente, compensatis fructibus pecuniâ: Admittit, id fieri posse auctoritate Papæ, non Inferioris; hinc tamen non sequi, quod propriè præbenda vendatur pecuniâ; eò quod supponatur, jam jus proventuum esse à titulo legitimâ auctoritate separatum, factumque temporale, & desiisse propriè esse præbendam, quod per Papam fieri posse, sit indubitatum. Verum, ut vides, hic etiam ex mente Lessii necesse est intervenire auctoritatem & potestatem Papæ, utpote cuius est, separare hac ratione jus fructuum à titulo beneficii. Atque sic adhuc partes sine hac auctoritate, inter se privatâ auctoritate de tali compensatione pacisci, et si intentione separent jus proventuum à titulo ipsò beneficii, sine simonia non posse. Et hinc, ut rectè Chok. loc. cit. n. 4. illum permutandi modum, quo prius nudi tituli permutarentur, dein etiam jura proventuum, periculosum esse, & sapere simoniam palliatam. De cetero tamen, dum beneficia prædia quadam vel possessiones annexas habent, & hæ inæquales sunt, posse prius ipsa beneficia simpliciter & liberè commutari absque ullo pacto compensandi id, in quo unum ab altero superatur, dein dictas pensiones seorsim per se posse permutari; eò quod, cum sint res temporales, tutò datur quid, ac recipiatur, quo compensetur id, quod abundat in altero, tradit Azor p. 2. l. 7. c. 29. q. 17. juxta c. ad quæstiones. de rer. permut.

4. Respondeo ad secundum tertio: Cum dubium non sit, posse Papam separare dictum jus proventuum à titulo, adeoque posse illum inæqualitatem illam pecuniâ, vel alia re temporali, vel maximè autè constitutâ pensione supplere. Chok. loc. cit. nu. 5. Argumento cap. ad quæstiones. de rer. permut. ubi Clemens III. approbat permutationem duarum Ecclesiarum Parochialium, compensato excessu opulentioris pecuniâ; fieri poterit talis permutatio cum dicta compensatione, etiam partibus de hoc inter se paciscentibus, non secus, ac alia resignatio in favorem reservatâ pensione, si super hoc dein rogetur consensus & Auctoritas Papæ. Verum utrum hoc fieri quoque possit coram Ordinario, & is in hac causa coæquandi fructus beneficiorum permutatorum imponere possit pensionem duraturam ad vitam ejus, cui reservatur, aut aliud temporale quicquam, non convenit inter AA. de pensione ex hac causa imposta. Affirmant Ventrigl. ro. 2. annot. 4. §. 2. n. 31. citans Gonz. gl. 14. n. 38. Gig. de pens. q. 6. nu. 2. Valent. ro. 3. 2. secunda. d. 6. q. 16. p. 3. Cajet. 2. 2. q. 100. 4. 4. Delphin. de jurep. l. 3. q. 18. num. 161. citati à Garc. p. 1. c. 5. n. 344. Chok. loc. cit. n. 14. citato Wamel. ro. 1. conf. 264. n. 1. & alii cum Nav. conf. 3. de simon. nu. 4. Negant Ugolin. de simon. Tab. 1. c. 27. §. 1. n. 3. Corrad. in respons. casuum. q. 42. in addit. pag. 8. Cechus. Philarch. citati à García. n. 345. cum quibus ipse sentire videtur, & ita tenet Azor loc. cit. q. 16. & nos tenuimus suprâ, ubi, an & qualiter Episcopus reservare possit pensionem ex hac causa, quæ vide. De cetero hanc inæqualitatem beneficiorum permutandorum compensari potius

posse per constitutionem pensionis, quàm per numerationem pecuniæ præsentis semel intervenientis; vel etiam, quod idem est, per præstationem alterius rei spiritualis, censet Chok. cit. q. 2. n. 16. ex Boëtio Epon. in c. cum olim. de rer. permut. num. 102. eò quod compensatio talis de fructibus & obventionibus ipsius beneficii depromenda, naturam beneficii spirituales quadatenus retineat, dum vel sic non tam temporale quid pro beneficio pinguiore, quàm spirituale, aut spirituali annexum, saltem dependenter aut consequenter (quale quid est talis pensio) vicissim rependatur. Verum quid de spiritualitate pensionis sentiendum, fuse examinarum est suprâ.

Quæstio 828. An, dum in gratia, qua contulit Papa alicui beneficium, appositum est decretum de dimittendo beneficio præhabito, possit illud permutare, vel etiam in favorem resignare?

Respondeo negativè. Garc. p. 11. c. 5. nu. 58. & ex eo Chok. de permut. p. 3. c. 18. citans pro hoc plures decis. Rotæ. Unde is, cui decretum hujusmodi positum est, neque post, neque ante possessionem secundi poterit resignare conditionaliter, seu ex causa permutationis, non factâ mentione dicti decreti, aliâs resignatio erit subreptitia, & nulla à principio. Garc. n. 61. Chok. loc. cit. non tamen simoniaca, ut idem ex Farinac. conf. 75. nu. 1. & 17. Multò que igitur minùs poterit resignare permutationis gratiâ coram Ordinario, quod si fecerit, lapsò termino concessò ad dimittendum, vacabit utrumque, seu secundum hoc beneficium, & præhabitu ad dispositionem solius Papæ vi dicti decreti. Garc. n. 62. Chok. loc. cit. Et quamvis interim ad dictum terminum usque valuisse resignatio, seu permutatio facta coram Ordinario, habitâ tamen possessione, & adveniente illo termino dimittendi, irrita censetur. Garc. Chok. l. cit. qui tamen addunt, moriente illo, vel matrimonio contrahente ante adventum dicti termini, non irriturum decretum illud in beneficiis sic vacantibus, nec fore illa reservata, ex quo vacarunt ante adventum illius termini & conditionis, nec irritam censendam resignationem, seu permutationem. Vide de his plura suprâ, ubi, an obtento secundo incompatibili prius habitu resignari possit ad favorem.

Quæstio 829. An, & qualiter beneficia existentia in diversis diocesis permutari possint?

1. Respondeo ad primum: Permutari ea posse, ut supponunt AA. Azor. p. 2. l. 7. c. 29. q. 8. Tond. qq. benef. p. 2. c. 4. §. 8. n. 11. Ventrigl. loc. cit. n. 22. Chok. de permut. p. 1. c. 14. Garc. loc. cit. num. 65.

2. Respondeo ad secundum: Requirit ad hanc permutationem utriusque Episcopi, ad quos aliâs beneficia, seu receptio resignationis eorundem spectat, consensus & auctoritas. Tond. Azor. Ventrigl. l. cit. Putat autem Chok. loc. cit. ex Gamb. ad c. unic. de rer. permut. in 6. num. 134. rutiussè, Episcopum unius permutare cupientium vices suas alteri committere, ut in instante per ipsum tota expediatur permutatio; quàm ut ex intervallo perficiatur; dum nimirum quisque permutantium resignat in manus sui Episcopi beneficium suum, quod